



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Semicenturia Variarum Resolutionum Moralium Pro Foro Interno, Atque Externo

Heislinger, Anton

Monachii, 1745

Casus VIII. De valore donationis à Candidato, vel Novitio Monasterii bonorum immobilium, & successionis hæreditariæ capacis facta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40155

translatum, quia ab isto adhuc non fuerat acceptata. Insuper quia bona fide acceptando donata nepos noster nullam injuriam impediendo malitiosè Religiosos à consecutione oblatae

hujus summæ monasterio intulerat, potuerunt isti nullum personale jus in nepotem præterdere, vi cujus damnum illis malitiosè illatum resarcire tenebatur.



Casus VIII.

De valore donationis, à Candidato, vel Novitio Monasterii bonorum immobilium, & successionis hereditariae capitis, factae.

Cæsareus in ejusmodi Monasterium jam susceptus, antequam iter in Novitiatum aggredieretur, relictam sibi à parente jam defuncto hereditatem, fratribus suis ad petitionem superstitis adhuc suæ matris in suo monasterio donat.

Quær. 1. An hæc donatio à Tridentino Sess. 25. de Regularibus cap. 16. annullata fuerit?

Quær. 2. Num ejusmodi donans hanc à se factam dispositionem durante Novitiatu revocare possit?

Quær. 3. Num monasterium ad illius rescissionem agere possit?

Synopsis.

§. I.

Resolvitur I. Quæsitum.

An hæc donatio à Tridentino Sess. 25. de Regularibus cap. 16. annullata fuerit?

1. Valori ejusmodi renuntiationis videtur obistere Tridentinum Sess. 25. de Regularibus cap. 16.
2. Et quòd hæc donatio facta fuerit de omnibus bonis, intuitu Religionis ineundæ.

I

3. Præ-

3. Præsertim cùm videatur metu gravi extorta,
4. Et similes renuntiationes in Novitiatu factæ nullæ sint.
5. Insuper lex pœnalis exorbitans ad alium casum extendatur, si aliàs foret illusoria.
6. Ac volentes ingredi Religionem sub lata verborum forma illius legis comprehendantur.
7. Ipsius etiam Tridentini textus est universalis, etiam talem contractum involvens.
8. Stant pro hac opinione multi Authores.
9. Renuntiatio ista potuit fieri absolutè, ac irrevocabiliter, vel dependenter à permanentia abdicantis in Religione.
10. Pro valore hujusmodi irrevocabilis renuntiationis facit, quòd lex Juris communis correctoria ad casum sub lata verborum forma non contentum, haud sit extendenda.
11. Quòd interpretatio legum desumenda sit ex rubrica, sub qua fuit illa posita.
12. Pro valore talis renuntiationis stat declaratio Cardinalium,
13. Et quòd à sæculari de meritis sæcularibus bonis fiat.
14. Ipsum etiam decretum correctorium Juris communis ab uno tempore non sit extendendum ad aliud.
15. Solvuntur rationes annullantium hunc contractum.

§. II.

Resolvitur II. Quæsit.

Num Ejusmodi donans hanc factam à se in sæculari statu donationem, durante Novitiatu revocare possit?

16. In quibus casibus perfecta donatio revocari possit?
17. De cujus donationis revocatione moveatur dubium?
18. Egrediens è Novitiatu revocare factam antea donationem poterit.
19. Renuntiatio cum translatione revocabili bonorum facta solo egressu è Novitiatu revocari poterit.
20. Ejusmodi donatio nequaquam in omnibus assimilatur donationi mortis causæ.
21. Facta sine translatione domini,

minii, & suspensa ad professionem donatio bonorum, actu possessorum, sine justa causa revocari non poterit.

§. III.

Resolvitur III. Quæsit.

Num Monasterium ad rescissionem hujus donationis agere possit?

22. Triplex circa hoc punctum opinio Authorum explicatur.
23. Afferuntur rationes, monasterio talem actionem denegantium.
24. Nec non eandem actionem monasterio competere contendentium.
25. Solutio rationum partis negativæ,

§. I.

Resolvitur I. Quæsitum.

An hæc donatio à Tridentino Sess. 25. de Regularib. cap. 16. annullata fuerit?

Occasionem huic dubio eventulando præbet Tri-

dentinum Sess. 25. cap. 16. de Regularib. ubi sequentia decernit. Nulla quoque renuntiatio, aut obligatio antea facta, etiam cum juramento, vel in favorem cujuscunque cause pie valeat, nisi cum licentia Episcopi, sive ejus vicarii fiat intra duos menses proximos ante professionem: ac non aliàs intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione: aliter verò facta, etiamsi cum hujus favoris expressa renuntiatione, etiam jurata, sit irrita, & nullius effectus.

Præter hanc Tridentini ordinationem valori prædictæ donationis videtur etiam obstare, etiamsi non quælibet donatio à volente ingredi Religionem sit semper invalida, quando illa facta fuit intuitu ingressûs, est tamen invalida, quæ facta est de omnibus suis bonis: atqui hæc renuntiatio facta est de omnibus bonis, scilicet de hæreditate paterna, quam solam tunc habebat: insuper intuitu Religionis, eò quòd post susceptionem, & paulò ante ingressum facta fuerit: ergo &c. quod ultimum confirmatur ex hoc: si non habuisset animum ingrediendi Religionem, nullo modo hanc re-

nuntiationem fecisset : ergo intuitu Religionis erat facta.

3 - Obstat ulterius illi contractui tertio Quòd omnis contractus metu gravi extortus non subsistat : hæc donatio est facta ex gravi metu reverentiali , quia mater filium ad eam impulit.

4 - Obstat eidem 4.tò. Talis renuntiatio in Novitiatu facta sine dubio est annullata vi Decreti Tridentini superius adducti : ergo etiam renunciatio ante Novitiatum facta non subsistet. Prob. conseq. Talis renuntiatio ab ingressuro proxime Novitiatum facta æquè impedit libertatem egrediendi , ac hanc impedit renunciatio facta in Novitiatu ; ergo cum ob impeditam libertatē egrediendi Decretum illud à Tridentino latum fuerit , nec ullum discrimen inter renuntiationem ante vel post ingressum fuerit à Concilio factum , etiam hæc renunciatio erit nulla. Etenim ex *Lege : Illud. ff. ad legem Aquiliam : & lege à Titio ff. de verbor. obligat.* in Jure satis receptum est , ut legis dispositio ex uno casu extendatur ad alium , quando est eadem ratio.

Obstat 5.tò. Vi cap. *Si civitas. de sentent. excom. & Glossa fin. cap. 2. de usuris in 6.* Lex pœnalis , & exorbitans extenditur ad alium casum , quando frustraretur , ac redderetur aliàs vana , & illusoria , si ad illum non extenderetur : atqui hoc fieret circa prædictum Decretum Tridentini , si subsisteret talis ante Novitiatum totalis renuntiatio , intuitu ingressus in Religionem facta : ergo &c.

Obstat 6.tò. Si volentes ingredi non comprehenderentur , ratio posset esse , quia illi non comprehenduntur sub lata verborum forma ipsius legis , cum hæc loquatur de Novitiis , Candidatus autem nondum sit Novitius : hæc ratio nulla est. Prob. min. Tales Candidati sufficienter continentur sub forma , & verbis prædictæ legis Tridentinæ. Prob. Qui ita parati sunt ad ingressum Religionis , reputandi sunt tanquam ingressi juxta *legem penult. ff. de militari testamento.* hic enim proximè accingendus habetur.

Septimò. Pro nullitate hujus contractus facit , quòd textus Tridentini sit universalis , & de qua-

qualibet renuntiatione ante professionem loquatur: ergo etiam extendi potest ad volentes ingredi.

7 Octavò denique. Contractus ejusmodi nullitatem agnoscunt Navarrus *Concil. 7. & 8. de donat. in antiquis: & Concil. 81. de Regularib. in novis flumin. de Resignat. lib. 3. q. 13. n. 9.* Molina *de Justit. tract. 2. disp. 149. & tom. 3. disp. 604. n. 2.* Lessius *lib. 2. cap. 41. n. 39. & 40.* Azor *lib. 13. cap. 9. q. 2. Sà verbo Religio. num. 5.* Zabollus cum aliis.

8 Antequam quid in hac controversia sentiamus, exponamus, advertimus, hanc renuntiationem potuisse fieri absolutè, atque irrevocabiliter absque omni conditione permanentiæ in Religione: aut revocabiliter, ac dependenter à permanentia Novitii in ordine, ità ut per vota post Novitiatum facta donatio primùm confirmaretur. Quòd si itaque de irrevocabili donatione sit quæstio.

9 Ejusmodi absolutam donationem Decreto Tridentini nequaquam comprehensam, & consequenter validam agnoscunt Menochius *lib. 2. de Arbitris: Ca-*

su 436. à n. 3. afferens pro hac sententia magnum catalogum Authorum, nec non ipsius Rotæ decisiones. Nicolaus Garcias *11. part. de Benef. c. 9. n. 25.* Sanchez *lib. 7. cap. 5. n. 4. in Decalogum* Barbosa *3. part. de potest. Episcopi alleg. 99. n. 17.* Man, Rodriguez *tom. 3. qq. Regular. q. 16. art. 1.* Palao *de statu religioso disp. 1. pu. 17. num. 4. cum pluribus aliis circa finem n. 4.* à Sanchezio locò citatò allatis. Petrus Catani *tom. 1. de vot. Religio. q. 11. cap. 6. n. 8.*

Fundant se præcipuè in sequentibus rationibus. Prima. Legis dispositio, præsertim si correctoria sit juris communis, non est extendenda ad casum sub lata verborum forma non comprehensum: at sub lata forma verborum hujus dispositionis non comprehenditur facta à Candidato ante ingressum irrevocabilis donatio: ergo &c. Major pluribus probatur à Palao *disp. 5. pu. 3. de LL. §. 4.* Cum enim correctio legum sit odiosa, non erit illa extendenda ab uno casu ad alium ob similitudinem rationum, ità ut, quantum fieri potest, correctio legum evitetur.

*Lege præcipimus. Cod. de appellat. min. hoc modo ostenditur. Tridentinæ dispositiōis verba comprehendunt solos regulares: ergo &c. Prob. anteced. Textus præcedens de solis Novitiis loquitur: ergo de his etiam loquitur posterior agens de renuntiationibus, quia Tridentinum utitur illâ particulâ copulativâ: quoque: consequenter, si prior textus locutus fuerat de Novitiis, etiam de his ipsis ager posterior circa renuntiationem versans. Nam juxta *Legem Tutores quoque. §. de pactis. & §. prætorum quoque: de jure naturali.* Particula hæc copulativa quoque connectit sequentia cum antecedentibus.*

I I Secundò. Interpretatio Legum est desumenda ex Rubrica: hæc autem est de Regularibus: ergo & prædicta Lex de istis solis ager. Accedit, quòd ibidem dicatur; *Nisi intra duos menses proximos professioni: item quòd non sit valitura ante professionem: quæ omnia sermonem de Religioso indicant: ergo ad necdum Religiosos se non extendet illa dispositio, quia prohibita certo tempore, censentur reliquo permis-*

sa. Lege. Imperator. ff. de postulantibus. lege 1. statu liberum. §. Stichum de legatis.

Tertiò. Pro hac sententia affertur potest, atque solet declaratio Congregationis Cardinalium, attestantibus Bassarello, & Stephano Gratiano, quam refert Thom. Sanchez in *Decalog. lib. 7. cap. 5. n. 4.*

Quartò. Antequam talis Candidatus ingrediatur ordinem, est ille persona merè secularis: insuper conventio fit de merè secularibus bonis: ergo Concilium Tridentinum non est censendum de illis aliquid disponere vi *cap. Novit. de judiciis. & cap. per venerabilem. qui filii sint legitimi.*

Quintò. Decretum correctorium Juris communis auferens potestatem liberè de suis bonis disponendi, quæ tamen cuilibet jure communi competit, non est extendendum ab uno tempore ad aliud: atqui præfatum est tale: ergo &c. Et licet idem finis pariter locum habeat in dispositione ante ingressum facta; verba tamen prohibitionis eidem nullatenus aptari possunt, cum expressè de Novitiis lo-

quan-

quantur, tanquam de personis Ecclesiasticis, & hinc quoad dispositionem suorum bonorum legibus Ecclesiæ subiectis. Accedit, rationem ab adversariis allatam, probare nimium, invalidam scilicet futuram renuntiationem, quæ alio fine, quàm intuitu Religionem ingrediendi, fuit facta, cum etiam illa libertatem egrediendi è Novitiatu auferat.

15 Ex istis facile diluuntur rationes, quæ ab initio pro nullitate hujus contractûs renuntiativi allatæ fuerunt. Quid enim de mente Tridentini circa *Decretum Sess. 25. de Regularib. cap. 16.* tenendum, patet ex dictis. Unde etiam per se corrumpit ratio secundo loco allata; uti & quarto. Licet autem omnis contractus, metu gravi extortus, vel irritus sit, vel irritari possit; probari tamen difficulter poterit, hanc donationem potius ex metu, quàm amore parentis, & consanguineorum, factam fuisse. Ad argumentum quinto loco allatum reponitur, extensio- ni locum esse, quando ea, ad quæ fit extensio, commodè comprehendi possunt sub verbis pro-

hibitionis; uti possunt suburbia sub nomine urbis, codicillus sub nomine testamenti: nondum autem ingressi nequaquam commodè comprehendi possunt sub nomine Novitii.

Neque dicant adversarii: Si dispositio ista non extendatur ad Candidatos, reddendam prohibitionem illam vanam, & illusoriam: Ratio est, quòd talis dispositio, ante Novitiatum facta, rarissimè contingat, & ob hanc causam Concilium Tridentinum dispositioni juris communis contractum, ante ingressum factum, reliquerit, contentum annulatione renuntiationis in Novitiatu factæ.

Quòd si autem talis absoluta donatio non est irrita, multò magis valebit, quæ sub conditione permanentiæ, & votorum Religionis celebrata fuit, cum hæc nullo modo impediatur, vel promoveatur ingressum in Religionem, vel egressum ex ista impediatur.

Confirm. Valet testamentum à tali Candidato factum; quia Tridentinum duntaxat loquitur de contractibus irrevocabilibus, qualis non est testamentum:

tum: ergo etiam talis ad eventum fecutorum votorum suspensa donatio valebit,

§. II.

Resolvitur II. Quæsit.

Num ejusmodi donans hanc factam à se in seculari statu donationem durante Novitiatu revocare possit?

Perfectam donationem regulariter revocari non posse, habetur in *Lege perfecta donatio. Cod. de donat. qua sub modo. Lege 2. Cod. de revocandis donationibus*, Dixi: regulariter esse irrevocabilem; eò quòd triplex eventus à Doctoribus excipitur: cùm scilicet donatori nascuntur filii. Secundò, cùm tanquam inofficiosa præjudicat hæredibus: & denique tertio ob ingratitude[m] donatarii in donantem. Perfecta autem merito censetur renunciatio seu donatio, quæ jam absolutè fuit perfecta, ita ut illius firmitas non suspendatur ad subsequendam professionem. De ista donationum specie non videtur hic instituenda quæstio,

sed potius de illa, quæ processit ex animo, ut nequaquam firmam sit, professione non subsequuta.

Dein potest duplex institui quæstio. 1. An revocari talis donatio à Novitio possit tempore Novitiatus ante edita vota? vel utrùm post professionem, post impletam scilicet conditionem, qua posita omnino firmam volebat esse donationem. Procedit etiam quæstio extra illos eventus, in quibus donationem revocari posse, communiter DD. asserunt.

Dico 1. Qui renunciavit quidem suis bonis in favorem causæ profanæ non absolutè, sed cum conditione recuperandi illa, si durante Novitiatu egressus fuerit, potest subsequuto egressu revocare priorem renuntiationem. Ratio est clara: quia ab initio statim renuntians, & renuntiatarius in hanc conditionem, atque eventum conspirarunt. Quinimo etiamsi non expressè hanc conditionem adjecterit resignans, si tamen nullo signo externo manifestaverit, se velle absolutè, ac sine hac conditione istam suam renuntiationem esse tunc statim firmam, pote-

poterit, ac debet præsumi, non absolutam, sed conditionatam hoc modo renuntiationem celebratam fuisse, si de omnibus suis bonis, vel majore horum parte ab habente firmum propositum ingrediendi Religionem renuntiatione fuerit celebrata.

19 Dico 2. Si in pacto donationis dominium in donatarium statim translatum fuerit, revocabiliter tamen, contingente scilicet egressu ex ordine; probabilius non poterit donatio aliter, quam per egressum revocari, si nullus ex tribus antea allatis eventibus communiter revocationem post se trahentibus evenierit. Ità de la Croix de revocat. donat. num. 804 citans Molinam, Lugonem, Haunoldum. n. 264. & alios ab hoc adductos. Ratio est: Donatarius aut resignatarius jam acquisivit dominium; & nulla adest ratio, ob quam resignanti jus competit revocandi donationem: ergo. Secundò. *Quod smel placuit, amplius displicere non potest.* Regula Juris 21. in 6, Concordat lex 4. sicut in initio. Cod. de obligat. & Action. ibi: *Sicut in initio libera*

potestas unicuique est habendi contractus; ità renuntiare, adversario non consentiente, nemo potest.

Confirm. Donatio, à Novitio intra duos menses professioni proximos facta, juxta Tridentinum Sess. 25. de Regular. non potest ante professionem revocari: ergo multò minùs revocari poterit ista donatio, quæ in casu, quo donans exit ante professionem, ex sola præsumpta hujus voluntate revocatur.

Objic. contra hanc 2. conclus. Donatio contemplatione ingressus Religionis assimilatur donationi mortis causâ: ergo potest ante professionem à donante revocari. Prob. consequ. *vi legis. Non omnes. ff. de reb. Creditis. Donatio mortis causâ potest ante mortem revocari, ergo &c.* Resp. dist. antec. probationis: hæc donatio assimilatur donationi mortis causâ in omnibus, negatur, in eo tantùm, quòd non maneat omnino firma, sed revocetur professione non secuta, sicut illa ante secutam mortem non est omnino firma: conc. antec. & neg. consequ.

Dico 3. Si facta à Candidato renuntiatione, vel donatio bo-

K

no.

norum actu possessorum, non fuit absoluta, neque conjuncta cum translatione domini in resignatarium; sed valor suspensus ad futuram professionem probabilius sine justa causa, eaque gravi, revocari in Novitiatu à donante non poterit. Probat: qui contrahit cum aliqua sponsalia sub conditione, in futurum contingente: non potest ante hujus eventum pro libitu suo desistere à contractu, sed tenetur expectare eventum, vel defectum hujus conditionis, prout defendunt Bonacina *disp. 4. pu. 2. n. 5.* Palao *disp. 1. de sponsal. pu. 16. n. 10.* Sanchez *de matrim. lib. 5. disp. 6. n. 8.* item, qui promisit alteri dare centum, si navis Petri ad certum diem adveniret; etiam expectare eventum, vel defectum conditionis debet: ergo cum hæc donatio, vel renunciatio bonorum, non conjuncta cum actuali translatione domini, sit proprie loquendo promissio in futurum, non poterit pro libitu interim revocari.

Prob. 2. Molina *disp. 264. §. Jure etiam.* Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 7. n. 3.* Rebellus *2. p.*

de oblig. Justit. lib. 18. q. 4. n. 3. & 5. Lessius *lib. 2. cap. 18. dub. 7. n. 50.* Palao *de Justit. disp. 2. pu. 7. n. 4.* pro certo tradunt, non posse à donante, vel promittente revocari donationem, vel promissionem liberalem absenti factam, & ab altero hujus loco acceptatam, sed necessario expectandum esse; an donatio, vel promissio donatario, vel promissario placeat, vel displiceat: ergo multò magis erit irrevocabilis, quæ à præsentem donatario, vel promissario acceptata fuit, suspensa tamen ad eventum, vel defectum certæ conditionis.

Prob. 3. Promittens, vel renuntians ad eventum certæ conditionis ad duo se obligat, & fidem ad duo implenda præstat; nimirum ad expectandum eventum, aut defectum conditionis; dein ad implendum promissum, si conditio evenerit: ergo cum omnis promissio obliget promittentem ad exequendam rem promissam, & ad hanc expectandam tribuat jus promissario, non poterit interea resilire ipse renuntians, aut promittens.

Prob. 4. Ex contractu conditio-

ditionali non minus oritur obligatio in spe, hoc est in eventum conditionis, quam ex contractu absoluto, & puro, obligatio absoluta, & in re: ergo neuter altero invito resilire potest; Prob. antec. uterque contractus est in se, & in suo ordine, atque gradu perfectus. Consequentia etiam constat: si enim alteruter resilire possit, non foret contractus perfectus, hoc totum habetur in lege. qui Balneum. 9. & lege. Potior. 11. in principio. vers. videamus. ff. qui potiores in pignore habeantur.

Insinuavimus autem, revocari talem renuntiationem, aut promissionem non posse ante eventum conditionis sine justa, & gravi causa. Si enim ea mutatio superveniat, ut promittens nullatenus hanc promissionem fecisset, casu, quo illa tempore promissionis occurrisset, cessabit juxta communem sententiam promissionis obligatio, cum hæc solam possit esse in casibus sub promittentis voluntate comprehensis. Consule de hoc Palaum de Justit. commutativa. disp. 2. p. 12.

§. III.

Resolvitur III. Quæsit.

Num Monasterium ad rescissionem hujus donationis agere possit.

AZor. Instit. Moral. part. 2 lib. 22 2. cap. 28. quæsit. 6. Tres Authorum opiniones circa hoc quæsitum refert. Marianus, Socinus, Philippus, Felinus, Ruinus, citati à Covarruvia in cap. Quamvis pactum. de pactis in 6. p. 3. § 2. n. 1. Societati, & cuilibet monasterio absolute jus quoddam ad petendam illius rescissionem adstruunt. Altera sententia agnoscit jus istud competere Monasterio, si liberi renuntiantes ex renuntiatione sint graviter læsi. Ità Decius, & Aymon teste Covarruvia supra n. 5. Denique Bartolus, Baldus, Decius, Hieronymus, Cagnolus, Franciscus Purpur, eodem n. 5. à Covarruvia citati. Item Guttierrez Authentica: Sacramenta puberum: dum nuptui tradebatur n. 1. Molina lib. 2. de primogenitura. cap. 3. n. 27. Molina Jesuita tract. 2. de Justit. disp. 579. n.

K 2

17.

17. Palao de Juram. disp. 2. p. 9. §. 6. n. 11. talem actionem monasterio totaliter denegant, saltem si filius dote competente contentus renuntiaverit.

- 23 Ratio, qua ad hanc actionem Monasterio denegandam promoti fuerunt, est hæc. Post Religionis professionem ad rescissionem hujus renuntiationis monasterium neque potest agere ex persona sui Religiosi; atque ex hujus jure, quod per authenticam ingressi in monasterium translatum fuit: neque nomine & jure suo, seu monasterii, quod jus eidem monasterio delatum competit: ergo &c. Probat. 1. memb. antec. Si posset monachus agere, ratio foret, quia gravissimè per talem renuntiationem fuisset læsus: atqui non fuit gravissimè læsus. Prob. min. nulla omnino læsio in hoc casu ipsi Religioso evenit, ergo &c. Probatur anteced. qui ob paupertatem servandam meditatur Religionem ingredi, ac profiteri, ille quærit, & eligit paupertatem: sed qui paupertatem quærit, atque eligit, illi ex renuntiatione nulla injuria fuit fa-

cta, quòd quasi ad paupertatem redactus fuerit: ergo &c.

Confirmant: Professus Religionem jam est astrictus voto paupertatis: ergo non est passus damnum in suis bonis. Si dicant, talem Religiosum ex eo fuisse læsum, quòd patrimonium ad monasterium afferre haud potuerit. Contra opponunt sequentia: volenti profiteri Religionem nulla infertur injuria ex eo, quòd nullum vel tenue patrimonium in ordinem vel monasterium attulerit, & pingue consanguineis reliquerit. Prob. paupertas monasterii parùm officit Religiosis domibus, & personis paupertatem professis. Prob. maxima laus Religiosorum semper provenit ex illorum paupertate: ergo non fuit læsus, qui nullum patrimonium in monasterium deferens, pauperem Religionem elegerat. Dein si dote competente filius fuit instructus, tunc ad statum perfectionis competentia bona accepit: ergo justissimè, ac prudentissimè reliqua dimittit.

Probant nunc etiam alteram partem, quòd scilicet monasterium

rium

rium, neque suo nomine, quasi ipsum enormiter fuerit læsum, agere ad rescissionem hujus renuntiationis valeat. Si enim nullum jus tali monasterio competit, nec defertur in eas res, quas ipse Religiosus consanguineis, vel aliis ante ingressum religionis reliquerat, tunc monasterium non potest suo nomine agere: sed nihil juris eidem in has competit: ergo &c. Prob. min. Religiosus ante ingressum habet licentiam quocunque modo disponendi de rebus propriis, ut habetur *Authentica: de Monachis. §. Illud. & §. Nunc autem: & Can. Si quæ mulier. 19. quest. ultima. Authentica: Nunc autem. Cod. de Episcop. & Clericis. & in Authentica: Si quæ mulier. Cod. eodem tit.*

Confirmant. Testamentum ejusmodi Religiosi non rumpitur, etiamsi nihil monasterio reliquerit, modò id fecerit intuitu Religionis ingressus.

Probant ulterius etiam ex eo; *Cap. quamvis pactum: de pactis in 6.* universaliter dicit, tale pactum jurejurando confirmatum valere, non distinguendo inter casum, quo à volente ingredi fuit pactum, vel alia ex intentione: ergo &c.

Probatur idem etiam hac ratione: Si filius liberè sine omni ob hanc renuntiationem pretio renuntiavit hæreditati paternæ futuræ, tunc nec ille, nec monasterium poterit rescissionem petere ob enormissimam læsionem. Prob. ubi intercessit liberalis donatio, ibi non est locus querelæ ex enormi læsione juxta Antonium Gomez, Fachinæum citatos apud, & cum Palao *disp. 2. pu. 9. §. 7. n. 10.*

Audivimus hucusque rationes, ob quas nonnulli Authores rescissionem ejusmodi donationum monasteriis competere denegant, superest itaque, ut ad illos faciamus gradum, qui defendunt, ejusmodi donationes ad minimum tunc non subsistere, etiamsi juramento confirmatæ fuerint, quando læsio renuntiantis est gravis, vel enormis, quam læsionem gravem, atque enormem tunc intercessisse volunt, cum tempore renuntiationis spes adfuerat opulentissimæ hæreditatis paternæ; aut patrimonium opimum præsens erat, & amplum, tametsi dos aliqua renuntianti, ad ingressum religionis idonea adfuerit, K 3 Cæ.

Cæterùm rationes, quæ cui-
cunque monasterio petenti re-
scissionem videntur posse con-
cedere, sunt sequentes:

Prima. Talis renunciatio est
facta, intuitu & gratia ingressus
in Religionem: ergo non debet
Religioni præjudicare; atque
monasterio officere, nisi hoc in
renuntiationem etiam consen-
serit. Prob. conseq. Si mona-
sterio non consentiente facta fuit
renunciatio, præsumitur optimo
jure, quod renunciatio in frau-
dem monasterii fuerit facta: er-
go monasterium ratione injuriæ
obtinuit facultatem expetendi
rescissionem.

Secunda. Talis renuntians
videtur præcisè in hunc contra-
ctum consensisse coactus metu
quodam reverentiali erga pa-
rentem: sed ubi ex metu con-
tractus celebratus fuit, datur lo-
cus rescissioni: ergo &c.

Tertia ratio ita proponitur.
Si filius absolute intuitu Religio-
nis ingrediendæ renunciavit hæ-
reditati paternæ futuræ, & non
solum ad eventum securæ pro-
fessionis, tunc non ampliùs ha-
bet plenam potestatem ingre-
diendi Religionem, vel manen-

di in sæculo; item egrediendi
denuo ex novitatu: quia videt
in sæculo pauperem, & hinc
molestam sibi vitam imposte-
rum ducendam esse: ergo vide-
tur adesse facultas rescindendi
donationem.

Ad argumèta ab adversariis pro-
posita respondent, & quidem ²⁵
ad primum. Licet læso, ut per-
sonæ privatæ nullam læsionem
illatam fuisse transmittamus, eò
quòd statum paupertatis elegerit;
illata tamen eidem fuit in-
juria, ut est pars monasterii, vel
integri ordinis, qui ex tali renun-
tiatione videtur enormiter læ-
sus fuisse.

Secundò, renuntians elegit
quidem statum paupertatis, in
quantum in isto nulla re ex pro-
pria voluntate sine consensu
Superioris uti potest. Minimè
autem statum paupertatis eligit,
hoc est, talem ordinem, qui
nulla immobilia bona possideat:
ergo cum monasterium fuerit
læsum, seu totus ordo, etiam ip-
se tanquam illius membrum fuit
læsus. Nocet autem paupertas
Monasteriis eatenus, in quantum
expedit, ut monasteria necessa-
riis ad suorum Religiosorum su-
sten-

stentationem mediis sint instructa, ut multa, quæ ex defectu horum evenire consueverunt, incommoda evitentur.

Dein licet cap. *Quamvis pactum de pactis. in 6.* Nullum faciat discrimen inter intentiones, ex quibus similes renuntiationes fiunt, asserit illud tamen, renuntiationem valituram, si non do-

lo, aut metu juramentum fuerit extortum, quod tamen in præsentis casu videtur factum.

Attulimus utrique parti faventes rationes: quænam autem istarum aliis præponderent, ut indecisum relinquentes, Lectoris benevolo judicio examinandum relinquimus.



Casus IX.

De frumento duobus in solidum successivè vendito.

Sempronius emit perfoluto statim pretio aliquot modios tritici, & dimensis faccos à se in hunc finem allatos implet. Verùm, cùm comparatum hoc triticum in suas ædes, nescio, ob quas circumstantias avehere statim non posset, in venditoris ædibus depositos relinquit, ubi autem post aliquot dies ad molendinum emptos modios avehere volebat, à venditore intelligit, eos ipsos modios interea secundo emptori venditos, atque extra-

ditos fuisse. Sempronius inopinato hoc responso perturbatus.

Quær. Quid in his circumstantiis sibi sit faciendum?

Synopsis.

§. I.

Premittuntur varie in hac materia conclusiones.

1. Triticum potest emi ad corpus per aversionem.
2. Vel sine hac ad corpus, aut ad mensuram.